Załuski Andreas Chrysostomus –

Episcopus Plocensis.

Pultoviensis Coll. S.J. Victima publicae felicitatis.

Wedle przypuszczenia Kar. Estreicher.
autorem Ign. Zaleski pijar – ale chyba to niesłuszne.

VICTIMA
PUBLICÆ FELICITATIS.


In Aviti ſtemmatis Arâ,
EXCELLENTISSIMI,
JLLVSTRISSIMI,
AC
REVERENDISSIMI
DOMINI

D: ANDREÆ
CHRYSOSTOMI
In ZAŁVSKIE
ZAŁUSKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI PLOCENSIS,
Sacræ Reginalis Majeſtatis Cancellarij.
A
Collegio Pultovienſi Societatis JESU
Orbi Polono Demonſtrata,
Et in primo ſuæ Cathedræ limine profundiſſimo cultu Celebrata.
Anno Cæleſtis Agni ad Victimã Nati.
1692.

VARSAVIÆ Typis Collegij Scholarum Piarum.

IN
Avita Illustrissimæ Domûs Arma.



I.

Plocia Pastorem Te PRÆSUL jure salutat;
In Patrio pridem stemmate pascis Ovem.

II.

Crux, & Olor Cælos, Falces quoq; & Ascia terras
Implent; Sic Vestra est non minor Orbe Domus.

III.

Ducturi Populos per mille pericula sylvæ;
Atque per ignotæ cæca theatra plagæ,
Quantumvis superi, Geminas habuêre Columnas;
Quantus es o PRÆSUL cùi satis una facit!

Ad Candidum
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
A G N U M.

AGNE Palatinæ decus immortale Curulis,
Dignior es stellas inter habere locum.
Vincis luce Diem, superas candore pruinas,
Lactea præcedis sidera, vincis ebur.
Non audet conferre Tuis sua Lilia Ceris
Flora, nec intactas alba ligustra nives.
Italá non audent coram crystalla videri,
Riphæum vinci Te pudet ante gelu.
Candidior lacte es, Simoiq;, Tagoque Padoque,
Castaliæ non est par Tibi Tethis aquæ.
Pallet Erythrei Te coram gemma profundi,
Te coram niger est Castilionis Olor.
Tu argentum Lunæ, Tyriæ Tu vellera lanæ,
Tu vincis Lybicis marmora nata iugis.
Es nive candidior (fateor) Paphiisq; Columbis,
Candidior propriј Pectore non es Heri.

EXCELLENTISSIME
ILLUSTRISSIME
REVERENDISSIME
ANTISTES.

ADmiraris in primo Dignitatis Tuæ limine, quod publicæ felicitatis Victimam ad PRÆSVLEI Honoris Aram deducamus. Sed dabis veniam in primis facilē, & hoc ipso Nomine iam secundam, ubi patientissime expēderis, amittere sæpiùs nomina sua, immo grandescere etiam, minora quantumvis flumina, quoties in immensum Gratiarum mare prolabuntur. Vmbræ, locum non habent, inter Serenitates & Lumina. Consulimus igitur imbecillitati nostræ, ut per confertissima Te sibi gratulantium populorum agmina faciliùs vel hoc ipso titulo, ad Tuum conspectū pertingam9,

quantumvis immeriti. Nemo enim ab Aris, nemo à communi Fortunæ publicæ ſpectaculo eximitur, immo nullꝰ potiore jure ad cōmunis Holocauſti ſpectat libamina, quàm qui maximè indignus, indigusq́ue. Hanc tenuitati humanæ felicitatem reliquêre Boni ſuperi, hanc neceſſitatis noſtræ audaciā, vel temeritatē, Vicaria in terris Numina patiuntur, ut non deſint, quos ad immortales ſuarū Gratiarū Fontes, Hortoſq́; quotidie poſſint admittere. Tot quidem fortunæ titulis plenas manus Tuas, majoris quam hoc ſit muneris capaces non ignoramus, ſed tantillā muneris molē, pondus & magnitudo implebit argumenti. Scilicet ab Oculis, quibus Regni totius ſerenas faciē, lucem ſuam accipiet, à manu pretium, à Nomine Tuo reverentiam. Conciliabit nobis innocentiſſimum AGNI ſidꝰ gratiam, addet Operi ſuavitatē Olor, geminæ Falces à ſterilitatis periculo abſoluent Oratorem, Aſcia eriget, Columna ſuſtinebit. Si deſint alia Styli ornamenta, invitamētum ac illecebra

erit

erit Lectorum nova ubiq; Tuarum virtutum exempla Nominaque. Vt verò ingenuè fateamur, tenere calamum nō potuimus, ad publici ſpectaculi ultrò evolantē prodigia, poſtquam olim advertimus, in Avitas Ceras Tuas, tot Splendores ſimul influxiſſe. Didicim9 Eruditiſſime ANTISTES, Primæ Magnitudinis Aſtra, in publica Cæli profuſiùs ridentis lætitia, etiam Vlulæ vocē admittere; Legimus non ſolis olim Oloribus, verùm ipſis quoq; corniculis licuiſſe ſuas Delphico Apollini plumas dedicare. Nimirum à debito Numinibus Vectigali nemo eximitur, immo edicto plus quàm Prætorio vetitum accepimus, ne quis loco excuſationis adferre poſſit, par illis non habere:

Juppiter Ambroſiâ Satur eſt, & Nectare vivit;
Nos tamen exta Iovi, Thura, Merumq; damus.

Non blandimur PRÆSVL Optime, nefas enim eſt, tàm publice hoc ſibi ſtyli genus uſurpare, aut inter Illuſtriſſimas Domûs Tuæ Ceras, umbrā peſtis hujus cōparere, qui angue pej9 deteſtaris mendacium. Dabis tamē Veniam,

si domesticã Gloriæ Tuæ gazam alijs quoq́; Te inconsulto aperiamus, quam hactenus ita diligenter claudebat modestia Tua, ne permissa luci publicæ, thesauri nomen amitteret, parceretq́; nostræ palpebræ tantis fulgorib9 inassuetæ. Morem nihilominus geremus ubiq́; & Tuæ PRÆSVLVM Modestissime, Verecundiæ, & imbecillitati nostræ; Ita in lucem publicam Patritios deducemus Splẽdores, ut nemo non videat, quantum distet à Clarissimorũ etiam Oratorum ardore, Tuorũ fulgor meritorum. Vbiq́; vincetur rerum Virtutumq́; Tuarũ Magnitudine Narratio, & minus erit quidquid de Te, quidquid de Illustrissima Domo Tua prosequemus. Tu igitur leges, non tam Panegyrim, quàm obsequiũ nostrũ, eò profundiùs ad plãtas casurũ PRÆSVLEAS, quò humiliùs. Affundemur Vestris Splendoribus, etiam minimæ IGNATII scintillæ, securæ tanto Nomine, quòd Jllustrissimi exuberantia luminis, minoris adverti detrimenta non sinet. Ita ominatur, ita sperat.

JLLUSTRISSIMÆ CELSITUDINI VESTRÆ,

Devinctissimum

Collegium Pultoviense Societatis IESU.

PANEGYRICUS.

*HIlareſcite oculi ad novum
ſpectaculum, ZAŁVSCI-
ANVM AGNVM, hoc
eſt, publicæ Felicitatis victi-
mam in Plocenſi Ara ſpectabitis. Poni-
te ſpes humiles Populi, per hæc prima ſa-
crificij ſui libamina initiatus Pontifex
noſter, novas ſublimioris Fortunæ Ca-
lendas dedicat. Auſpicatum PRÆSV-
LEI Honoris limen, Palatini Sangui-
ne AGNI conſecratur, ne ulli pateamus
olim, quantumvis à ſuperis miſſo percuſ-
ſori. Dicam ſemel, Vellus hoc, Regis
quoq; Regum pectus amat; facile ad inti-
mam cordis ipſius Regiam, ſpei noſtræ vi-
am aperiet. Aries hic, cœleſti quodam
Candore notabilis, etiam expugnandis
ſuperum affectibus aptus. Jam olim ad
aureum Solis conclave admiſſus, in quos*

Cælitum amores immigraverit, palam est, qui ita in illum suum Oculū defixêre, ut nunquam dimittant à conspectu. Et quasi fortius suarum prospecturi securitati deliciarum, vigiles tot siderum Excubias circumposuêre. Vt iam intelligere liceat, quàm illustris Lucerna sit AGNVS, quem vel ipse demùm Titan, ad incrementum suæ Lucis, vel pompam adhibet. Inprimis verò Increata Sapientia, iratum olim placatura cœlum, non alio, quàm sub AGNI Nomine voluit immolari. Nimirum nullus alius Sanguis pro nobis de terra vocalior.

Nihil est igitur quod Oblatio tanta non possit nobis ubiq; obtinere. Immortales proinde habemus gratias Illustrissimis Ceris Vestris, quod PRÆSVLEAM Dignitatem Tuam, ita nobis clare sub aspectum posuerint, ut palam sit omnibus publicæ felicitatis Victimam, in ZAŁVSCIANVM Stemma immigrâsse. Nemo enim iam non securus ab omni Fatorum vivet vulnere, nemo non Achilles sit necesse est, quē tāti sanguinis Fōs attigerit.

Verum

Verum Oceanum quendam immensum, non Fontem dicere debueram, ex quo tot tantiq; Majores Tui, pluribus quàm Nili ostijs promanârũt. Vt nemo iam nõ videat, quantus ipse nobis hodie, quantus felicitati advenias populorũ, quem tam ingẽtia Nomina præcedere debuerunt. Quorum ego Imagines iam olim inter immortalitatis Altaria defixas, non moveo, neq; Sacros illorum Manes, ad hodiernæ Celebritatis pompam deduco, satis magnificentiæ splendorisq; à Te ipso habituram. Publicæ deinde, quam tot Virtutum Nominibus adornasti Victimæ pulchritudo, libertatem hanc non relinquit, spectatoribus suis, ut ubi oculos in eam semel intenderint, torquere illos aliò possint. Igitur unum Te meditatur, unum respicit, ad Te unum festinat Nostra Panegyris PRÆSVL Optime. Omnibus omnia factus, etiam nondum absolutis Oratoribus, non potes esse non Mecænas. Talem Te nobis Fama publica, quæ longe adventum Tuum præcessit, pollicita est, talem Patritij AGNI aspectus ominatur. Porro si ira-

ta quoq; Numina, supplicibus placantur Hostijs, favebis pariter nostris conatibus, Publicæ Victimam Felicitatis, eo gratiore Superis cultu, quo humiliore Stylo offerentibus.

Habet quidem suam me Hercule publicæ Lucis Aurora purpuram, est suus parvis etiam Fontibus Honor, est non ultimum vel ipsis gemmarum exuvijs decus. Nemo tamẽ sive gemmas à conchilio, sive meridianæ lucis splendorem, ab Aurora, sive ingentia Flumina rectè à suo fonte laudaverit. Sæpe enim pro fæda Die, Aurora erubuit, sæpe pro maculosis expalluêre gemmis conchilia, sæpe turbidis illacrymati Fontes Fluminibus, frustra ex atomis tumuere Montes, frustra superbum attollit verticem Laurus ingẽs, si parva quondam virga fuit.

Alium Fortunæ ordinem Domi Vestræ fecêre superi. Omnes pene ante Ortum Illustrissimi, omnes quoscunq; prima Lux ad publicam felicitatem excipit, aut Sidera sunt, aut Soles, omnes in materno adhuc lacte Primorum Regni subselliorũ

Candi-

Candidati, omnes Gigantes vel in cunis. Immò decus est ultimum Stirpis Vestræ, ab origine Magnos videri, nisi jam ubiq; occurrant hodie, qui emineant. Auri natale solum, montium prodit rubor, tenues præmittunt radios nascituri Soles, prævolat inscriptos Nomine Regum flores, rude folium, spinæ rosis, Lunæ sidera præludunt. Nihil se totum unquam repentè, aperit; Vobis ceu deducta ex Astris origine, totus simul, quasi omnis moræ impatiens, se infundit Illustrissimæ Domûs splẽdor, tota simul in moribus aureis effulget maturitas, nec observatis Annorũ gradibus, Legibusq;, sine intervallis tẽporũ adolescit. Momẽto possidetis ætates, & æternũ decus prima cẽsetis luce. Festinatis itineribus, ipsæ ultro ad Vos tãquã ad immortale quoddã sacrariũ, virtutes properãt veluti de Nobili Palma certaturæ, quæ illarũ prior, tãtæ Animæ Hospitiũ suis exornet Imaginibus. Hæc Avorũ in superos Pietatem, illa invictam Animi Fortitudinem, hæc difficillimis majorẽ negotijs Prudentiam, illa vim eloquendi confert

 admi-

admirandam. Pulcherrima profectò hæc est gloria, & non nisi Tua, neq; in tam longo Stemmate hucusq; variata. Dabimus hic nihilominus eam sacris Majorum Tuorum Cineribus reverentiam, ut illorum parcamus elogijs, qui supra soles & sidera positi, iam omnia humana vident, & tantùm non pudet fuisse olim inter mortales. Tu nihilominus per omnia tam felicis jura Originis abesse ab hodierna Celebritate non potes PALATINE RAVENSIS, Celsissima Stirpe GENITOR ILLVSTRISSIME. Exēplar ævi prioris & sæculi nostri ornamentum. Hæc publicæ felicitatis Victima sine Decorum Tuorum splendore ignibusq; absolvi nequit. Ponimus igitur in primo PRÆSVLEI Honoris limine, rarissimas illas, nō tā à quæsitis in peregrino littore Coloribus, quàm à perpetuitate, Virtutum Tuarum Imagines. Habeant in Te Posteri quod mirētur, si nequeunt imitari, absenteq; Domino, exprobrēt vel ipsa Domûs Limina intrantibus, quod paria non exhibeant. Videant suum in Comiti-

is

is Lycurgum, in supmo Regni Tribunali Areopagitam, in Templis Numam. Noverint vivū Antiquæ Probitatis, prisciq; Candoris simulacrum, mirentur Virum ab ævo Aureo, ac in Vno tot Merita! Dies me deficeret si irem per singula, majoribus olim Fastis recensenda. Minùs tamen adhuc feceras ILLVSTRISSIME PALATINE, nisi felicitati nostræ, tot tantosq; dedisses Senatores. Celebrent in Te alij, quod in fastigio Patritiæ Dignitatis positus, Vivas sine fastu, solis instar meridiani, qui, quò altiùs erigitur, tantò alios inumbrat minùs. Mirentur cæteri, quod in summo Tribunalitiæ Potestatis Subsellio, in quo Odiū Vitari vix potest, Tu omnium amorem fueris consecutus. Dicant alij, quod Te Præsidē fuerit Causa felicior, quàm miserorum, illos quoq; memorent, quibus contigit aliquando Te coram damnari, palam confessos esse, meritum sibi defuisse, non Iudicē. Hi Tuam in superos Pietatem, illi Prudentiam in Consilijs, alij Moderationem auream, alij candidissimam & gemmeo

dignam

dignam ſæculo celebrent morum ſuavitatem; Gratulentur Tibi alij præcipuos Sereniſſimi Principis ſavores, aut ætatem primis in Regno parem Subſellijs; ego Senatores filios, in quibus novum iterum ordinis ævum inprimis gratulor, Parentũ ſæculo noſtro fortunatiſſime, (dicam etiã) Beatiſſime. Hoc demum enim eſt, Patrẽ eſſe Patriæ, tot illi Columina, tot Scipiones erigere, ut una Domus rebus publicis periculisq; poſſit ſufficere. Protrudunt alij non tàm in lucem publicam, quàm in tenebras Stirpem ſuam, ut infelicis olim fortunæ aliquos hæredes habeant, ne ſoli ſint miſeri; Neq; deſint aliquando, qui nudos Parentum Manes, deferant vel ſequantur. Poſt ſepulchri molem temerè projectam, plerumq; nihil illis reſtat, præter ferales lacrymas, & acerbã triſtiq; funere auctam orbitatem. Quanquam & ſoles ipſi, cum extincta die, cœlo noſtro exeunt, nil niſi obſcuram noctem, & nonnulla pro ſuæ Domûs foribus relinquunt in excubijs Sidera. Tu nunquam nobis totus occides, eminebis, etiam poſt fata Illu-

ſtriſſi-

strissimus, implebis senatū purpuris, & Patritio sanguine, attolles Infulas, beabis Regnum. Iam quanta hæc benignioris cæli clementia, quanta Tua JLLVSTRISSIME PALATINE felicitas, faciliùs est nobis intelligere, quàm proferre. Beatitudo in terris quanta! præuenire sæcula, suæ posteritati ante tempus interesse, æuum quod non aduenit, jam oculis prælibare, videre nondum natos euentus rerum, felicitatem publicam, tantorum Filiorum excelsa Indole metiri, dare initium Fortunæ Casibus post sæcula futuris, & nouo post hominum memoriam prodigio, Auream ætatem populis restituere. Dicam omnia: sepulta æuo tempora nobis revocas; dedisti rediuivum Plocensibus CHRISOSTOMVM, Premislienſibus Infulis LVDOVICVM, MARTINVM Aris Cracoviensibus, Majorem Macedone Ravensi Castello ALEXANDRVM, Brestensibus Cuiaviēsibus fascibus HIERONYMVM, Livensi Labaro FRANCISCVM, & adhuc maximæ

ſpei, parvus licèt, in arena Literaria, de palma certat Iulus. Dij Boni! quot, quantaq́; Nomina! quot olim ſcriptorum manus, quot Hiſtoricorum calamos ſuis elogijs laſſatura! quot Faſtis Nomen datura immortale! ~~Quod~~ At, quid enim à LAVRENTIO Avũculo, niſi Illuſtriſſimum, quid ab ALEXANDRO Patre, niſi Magnum, quid à CATHARINA OLSZOVIA, tanti Primatis Germanâ, niſi primis Regni ſubſellijs, aut par, aut majus venire poterat! Dabis veniam Jlluſtriſſime PALATINE, ſi arcana ſuperûm curioſiùs inſpiciam, videris eo nomine, de cælo terris datus, ut Patritias Regni Curules, Magnis Proceribus unus impleas. Abſit verbo audacia, abſit temeritas, tam illuſtri ſtirpe beatus & ſuperſtes,

Invidiam terris, tantùm non ponis Olympo. *Tanto ergo Patre, ſolẽ publicum, & orbem aſpexiſti, Amor Principum, Deliciæ utriuſq́; Senatûs, Publica vox Patriæ, exterorum admiratio, Reipublicæ totius Oraculum, & vi-*

vum

vum Auiti Nominis exemplar, ANTISTES Reverendissime. Vnus enim omnes Majores Tuos, quâ vultu, quâ animo refers, fidemq́; apud nos facis Imaginibus singulorum. Si nos Pythagoræ non fallũt dogmata, in augustum Animi Tui domicilium, OLSZOVIORVM, KONIECPOLIORVM, KAZANOVIORVM, KARNKOVIORVM, KORICINIORVM, OBORSCIORVM, FREDRORVM, KROSNOVIORVM, DVNINORVM, potior Genius videtur immigrâsse. Idem es florentissimo sanguine, idem olorina suada, idem factis egregijs, & sola temporum fortuna Majoribus Tuis posterior. In lacte materno candorem Patris, & quandam ante pilos morum canitiem, à Cygno hausisti suavitatem. Et satis jam esset, ad Natalium Tuorum, altæq́; originis Magnificentiam demonstrandam, dixisse: quòd idem sis Natus, qualis fieri poteras, quòdq́; eadem Tibi Parens, quæ Soror Magni illius OLSZOVII. Qualem alium, etiam à superis jam fla-

gitare, non audebamus Poloni, nisi Te nostræ felicitati, non tam sanguine, Nomineq; quàm Animo simillimum, ultrò Cælestes Gratiæ efformâssent. Magni inquam OLSZOVII Soror, sexu fæmina, virtutibus supra viros, conjux statu, moribus Virgo, Decus quo vixit sæculi, invidia secuturi. Absolutissimæ Prolis matura Parens stirpem suam reliquit in autumno. Virtutum exemplis supra imitationem, nullam Regno dedit Filiam. Animus nimirum immortalis, ita fastidiebat terras, ut ne Imaginem quidem suam credere mortalibus voluerit. Ardentissimis cæli amoribus assveta, frigidiore Anni spatio ad superos emigravit, ut illæsus Candor, per Nives, viam suæ integritati parem, inveniret. Annos supra triginta duos vix emensa; majores virtutes ferre capereq; vix poterat. Et postquam inter homines, pridem insolitos Cæli Amores invenit, non habuit, quod ultra in terris quæreret. Nomen illi CATHARINÆ dixêre omnes, sed ANNAM, hoc est, Primam Gratiarum

fuisse,

fuisse, intelleximus demum ex Filijs, quibus venustiores, ne ipsa quidem Pulcheria procreâsset.

Et hæc ideo de optima Parente Tua, cujus vivam imaginem, Animo magis, quàm vultu refers; præfati sumus, ne ingrati superis pro tanto cæli munere videamur, palamq; sit, quot quantaq; Domi exempla Virtutum habueris, quæ in Prætexta disceres. Obligato igitur tantisper vulnere, defunctæ Parentis laudē excepisti, cujus immortali Virtute semper lætatus es. Neq; ut arbitror, ita doles, quòd talem amiseris, quàm quòd tantam habueris gaudes. Ita enim in singulis illa rectè actis eminebat, quasi cætera non præstaret, ita omnia exhibebat, ut quod in alijs virtus est, in illa, Natura esse crederetur. Quanquam Tibi, non solus Natalium splendor & Illustrissimæ Majorum Ceræ, ad Plocenses Insulas viam fecêre Flaminiam; Injuriæ loco reponis, si plus suffragij Patritiæ cunæ, aut Avorum Purpuræ, quàm Tua merita conferrent Dignitati. A fumosis Proavorū

Imaginibus decolorem umbram, non lucem ſpargi arbitraris, niſi ſua excitati virtute, ad egregiam eorum qui præceſſerunt, æmulationem Curulibus Patritijs provehantur. Erubeſcunt pro illis Purpuræ, neq; ita Tyrio murice, atq; indignatione exardeſcunt. Ipſæ Illuſtres Ceræ, non in feſtivos ignes, ſed in iras accenduntur immortales. Avita Magni Domus Inachi, non tam ſenio gravis, quàm meritis Gentilitia ſæpe ſumit Arma in degeneres, & priſci generis ſanguis, procellam minatur Nepotibus, niſi ad feliciores Inſulas, magnorum operum contendant remigio, proramq; vertant.

Mittimus ergo Majorum Tuorum elogia, & ad primam potiùs ætatem Tuam calamum flectimus oculoſq;. In Ravenſi, Caliſſienſi, Cracovienſi Athenæo vix ſtetiſti, ferebaris in ardua literarũ, ſupra tenerrimæ vires Pueritiæ, ſupra annos, ſupra exempla Palæſtræ, ſubdente ſtimulos ampliſſimæ Domûs gloriâ, & æmulatione. Feſtinatas opes natura

prope-

properabat imminentium præsaga Dignitatum. Tu verò ne Magni Avunculi ANDREÆ OLSZOVII, spem de Te summam in ludo illo literario falleres, fructum dabas pro floribus. Relucebat ad primam Cleantis Lucernam, quis quantusq; fores.

Difficilem olim jaciebat aleam Populus Senatusq; Romanus, cùm incertùm esset, quo se Regum suorum Cæsarumq; puerilis Indoles proferret. Diu soles illos, nubes quædam obscuræ, metum inter & spem publicam tenebant. Diu pēdebant populi, quis ille vagiret, Cæsarne an Tyrannus? diu trepidabant Proceres purpurati, ne suo plāctu infelices lacrymas Imperio minaretur. Terrarum Domini diu Pallori, Pavoriq;, sua litabant sacra, ut per tot victimarum cædes & funera, ad vitæ securitatem pertingerent. Premebatur enim ijsdem cum Regio Infante fascijs dubia spes publica, Trajanum, an Tyberium evoluerent? & adhuc vagiens innocentia timebatur. Cùm non esset facilè respondere, mitius

aliquod Astrum, an fatale Imperio fulmen respiceres. Nempe ipsa quoq; illius æui sidera, impiæ telluris afflata vaporibus, quantumvis tot Hostijs exorata, raró illam indolem, Coronatis infantibus imprimebant, ex qua claré legi posset, certa securitas populorum. Nondũ verba, jam iras & fastum balbutire lingua, jám mortes minari & uulnera, jam Regios fastidire cibos, & tantùm non suæ Matris ubera. Infelices populos, Miseros Aruspices, qui per tot discrimina metûs publici, ad cognoscendam Moderatorum suorum indolem contendebant. Nescia mirari rerum miracula Antiquitas huc oculos, huc flecte aciem, totam lectura in prima Nostri ANTISTITIS aurora, publicæ felicitatis diem. Omnes enim, qui Te é vicino inspexerunt ANTISTES JLLVSTRISSIME, felices faciebant Augures, magni vel in initijs progressus Tui, & insolitæ Virtutis documenta. Ardua literarum Tibi ludus erant, non labor, qui Literatorum olim negotium esse debuisti. Extra omnem fuit

dubij

dubij aleam, ad lucem editus esses, an ad immortale decus sapientiæ? Meminisse omnia videbaris, non discere, facilitate felicitateq; tanta, ut clarè intelligeremus universi, doctam Palladem, etiam sine Capitis vulnere, nasci posse. Ita quævis Palæstra Tibi ludus erat, ut plus ingenio Tuo, quam cæteri Nouem Musis, plus Illustrissimo Sangvini, quàm Fonti Castalio debueris. Nempe quod plurimis laboribus immortales Superi vendunt alijs, Tibi ultro donâsse vidimus. Ingenij claritate, omnes Aristophanis Diogenisq; Lucernas extinxisti, neq; tamen, ut alij, somniâsti in Parnasso. Romæ, Parisiis, Lovanij, in illa nimirum celeberrima Sapientiæ Arce, quam non tam passibus, ut laudatissimis ingenij exemplis decurristi, ita pro immortali gloria vigilabas eminebasq;, ut Magnus olim Poloniæ Senator, jam tunc apud omnes, qui Te è vicino inspexerunt audires. Rapiebat animos singulorum, Os illud, cujus admirandæ facundiæ Potentissimi Regis & utriusq; Senatûs integritas securè olim

credi debuit. Alij coram externo sole, nil magnum, præter Altæ Originis suæ titulos, aut spes inanes Majoresve ostentat, in quorum veram Famam, postliminio nemo vixit; Tu ingenium omni expectatione majus, Tu indolem, primarũ in Regno Dignitatum capacem, & merita præferebas. Memoria Illustrissimæ originis, non tumoris Tibi, sed æmulæ virtutis fuit alimentum. Relicto Magno Nomine, inanes alij conchas, ferunt plerumq; ab Exteris, aut nudas Adonidis Imagines; Tu illis gemmas Virtutum, Tu immortalia Nobilium exempla morum, Tu Romanis Theatris Rostrisq; facundiam, Lovanio solidam eruditionẽ, Lilijs Galliarum, innocentiæ Tuæ candorem affudisti, Patriæ verò quod omnibus istis majus æstimo, omnia Tecum uno reddidisti. Nimirum rediisti nobis talis tantusq;, quales alij se venturos ab Exteris pollicentur tantùm, ut Parentum suorum solentur orbitatem. Hinc cæcũ alibi Numen Fortuna, in deferendis olim Tibi Fascibus, Argo debuit esse oculati-

latior, quæ omnia longè ante titulos providit, omnia diligentissimè circumspexit, ne quid posset in Honore Tuo notari, quod in Casum, vel in Fatum, aut favores immeritos, ingeniosissimus quantũvis Livor, olim reÿciat. Longa serie priùs merita Tua ordinavit, quàm Te ad Altiores Dignitatum Gradus proveheret; Ne vulgari mortalium tramite, vir ab ævo immortali, ad summa contẽdere videreris.

Ad publicum Regni Tribunal Deputatus Arbiter, non subsellium (ut pleriq;) sed Dignitatem Iudicis absolutissimi implevisti, integritate tanta, ut lucem Areopago, quam illi prisca submoverat Antiquitas, aperuisse videreris. Neminem pronuntiâsti reum, qui non priùs se ipse intelligeret damnatũ, quàm audiret. Illa Tibi causa cordi fuit, quã non auri, vel fortunæ pretium, sed innocentia commendabat. Ad Leges, & Regni statuta flectebas oculos, cum se præpotentes Rei vellent respici. Celeberrimo Persarum more, cum salutareris

 manum

manum ſeruabas, ne crimina palparet, uel munera. Hinc ad Tuum conſpectum, quæuis erubeſcebat Dignitas, quæuis expalluit conſcientia. Palam enim omnibus dicebas, Officium Iudicis, non Gratijs, ſed Themidi à Te conſecratum, omniaq́; non ex Gratiani uolumine, ſed ex Iuſtiniani Codicibus decernenda.

Poſt funeſtũ MICHAELIS Primi è rebus humanis exceſſum reduci ex florẽtiſſimo Liliorum Regno, nullis de hoc Tuis ſermonibus, ſed quia omnium uoto par uidebaris, pretioſum Tibi Regij pectoris Monile traditum eſt, quod in Hiſpanias more inſtitutoq́; Majorum, Nomine Reipublicæ reportares. Quis enim alius vellus Aureum pro Majeſtate tanti muneris, aut ſplendidiùs, aut digniùs, quàm undiq́; concolor CHRISOSTOMI AGNVS, referre poterat? Profectò ſi quibus ſideribus, etiam Iberij ſolis Regia, certè Arieti patet. Et ita Tu quidem feliciter cor illius Principis adjeras, ne dicam tot Rationum momentis jam expugnaveras, ut dignas Hiſpania-

rum

rum Augusto, suppetias in Turcas Regno Tuo eviceris, nisi insaustum quoddā astrum, tam beneficum influxum invido aspectu præpedijsset. Videre scilicet non poterat, unum Te, in illa tot siderum Regia, dierum aliquot intervallo plus confecisse, quàm alij tam longa temporum morâ, non obtinere tantùm, sed ne sperare quidem poterant. Ita enim in illa Natali solis Patria, Tua eluxit indoles, ut extinctæ Serenissimi KORIBVTHI Lunæ Hesperus credi posses, si Virtus Tua obscuræ alicujus noctis sciret consinia. Mirabantur Iberi; tot tantaq; absolutissimæ Prudentiæ decora in unius Adolescentiæ penetralia immigrare potuisse. Tu verò insolitis Magni Regis auctus fauoribus, ita fortunæ publicæ Classem, serenitatis illius aurâ propellebas, ut ab unius Gratiæ portu, ad alterius spei ires Floridam. Tandem quod amplius in tāta rerum fortuna suspicio, cum jam Brabantiæ, Lusitaniæ littora, totumq; cum Britanniæ Insulis, admiratione Tua tenuisses Oceanum, nihil in tam frequenti*

Honoris pompa, tumidum vidimus, præter vela. Vt ergo in arena olim literaria, Palladi vel Apollini, ita in illa Legatione, Mercurio, id est: os humerosq; Deo similis fueras, nisi quòd ille Deorum nuntius, Tu Nuntiorum Numen audires. Hæc enim pro Majestate Polona locutus es, quæ Apollinem pro Delphis decuisset. Quanquam etiam pro Angelico MICHAELE Astris (ut credimus) reddito, non humana, sed cælestis, quæ Tua est, suada meritò debuit perorare.

Nondum à tam operosa Legatione, inter tot curas publicas, quantùm par erat, respirâsti, jam aliam non tam ordine, quàm euentu felicissimo secundam, ad Electorem Brandeburgicum adornâsti. More magni sideris in uno diu nesciị stare loco Berlinum properâsti, ut non diebus, (quod alijs quoq; commune) sed egregijs pro Patria factis, Gloriæ Tuæ terminos extenderes, collectamq; per tot Regna diffunderes eruditionem. Magnis quidem Tibi domesticæ fortunæ impensis

hæc

hæc iterum stetit Provincia, sed majoribus longè publicæ gloriæ incrementis, postquam inde fortissimam aliquot milliũ Pruthenæ Militiæ Manum, laboranti Patriæ porrexisti. Plus nimirum apud Martem Prussiæ, omni pretiosior auro, suada Tua potuit, quàm supplices aliorum preces, aut minæ. Hinc Te Regum Potentissimus IOANNES III tantò magis æstimare, quantò armis, quantò hostibus graviores vidit copias, quas Legatione Tua tam feliciter evicisti. Quantùm fœderatas illas centurias majore odio ferri in Barbaros notabat Gradivus noster, tantùm amare Te fortiùs cogebatur. Nempe per aperta ferro illo hostium viscera, profundiùs ad cor Regium penetrabas, & per excisas rebellis Hungariæ Vrbes, Principem Amoris sedem, pectoris invicti Arcem occupabas. Relucebat enim inter auxiliares illos ignes & Arma Legatio Tua, & tripudiantibus lectissimæ militiæ signis, ante aciem triumphabat. Quantò plus in hostico æris proprij miles ille profundebat, tantò

Tibi amplius apud omnes pretij accedebat. Compendio rem abſolvam: Oratorum Fortunatiſſime, peperciſti Regni ærario, vires viroſq;, & exitium hoſtium auxiſti, donâſti Civibus Tributa, quæ erogare debuiſſent, niſi Legationem ſuſcepiſſes. Fuiſti pars magna pulcherrimæ poſt hominum memoriam victoriæ, Laureas Viennenſes & triumphum geminâſti. Quoties alij tam difficili Reipublicæ articulo ad vicinos Principes mittebantur, nil nobis niſi funeſtas atramento paginas, & inanibus verbis ſuperba promiſſa referebant. Tu belli nervum, Tu militem in bella paratum, Tu fortes ſignorum Duces, Tu funeſta Orienti Arma duxiſti. Et pulcherrimum me hercule fuit hoc ſæculi noſtri prodigium, quod Marchio Fridericus, tanto odio Purpuratos Romanæ Eccleſiæ Patres ſemper auerſatus, tanta reuerentiâ Polonum audiret CHRISOSTOMVM, ut omnia ſimul ad unam illius vocem præſtiterit. Rara profectò hæc eſt gloria, & non minùs Tuæ Legationi, quàm noſtræ

feli-

felicitati, à superis reseruata, PRÆSVL Optime.

Pultouiensis, Cracouiensis, Gnesnensis Canonicus simul & Cancellarius, o inæqualia tantis Virtutibus Nomina Dignitatum! o miraculum modestiæ Tuæ! Tam publicis auctum meritis, tam diu intra Vachocensis Abbatiæ terminos, & Kijouiensis Insulæ titulos stare potuisse! Discerent à Te PRÆSVLVM Modestissime, omnes Sacri Honoris Candidati, non alto Auorum sanguine, non obliquis artibus Amicorum, non priuatis fauoribus, sed præclarè actis, ad magna niti fastigia. Poteras enimuero Tu quoq; communibus his suffragijs ad majores Purpuras celeriùs eluctari, sed Numen illud Purpuræ, Pudor Tuus vulgarem viam nescijt; quia olim adhuc per Templum Virtutis, ad veri Honoris Aram eundum esse didicerat. Tardiùs sequi veteranos Antistites voluisti, quos jam longè priùs meritis præueneras, vel æquabas; ita ut faciliùs fuisset optimo Principi, Primas Tibi post tot actus

H confer-

conferre Insulas, quàm verecundiæ Tuæ, vel nutu postulare. Publicum enim dedecus censebas tantorum in Patriâ meritorum, & palmarem integerrimæ virtutis injuriam, humilioris fortunæ, parum patientem videri. Omnibus interim Majorum Prouinciarum titulis, potior Tibi videbatur Reginalis Cancellarij munere dignum censeri, à quo tribus pene lustris, ne latum (ut ajunt) unguem, è Regia discedebas. Et hic iterum novus se mihi laudum Tuarum pandit oceanus, cogitanti quàm ingentibus meritis, tàm difficilem Prouinciam impleueris. Quanta enim illa manus Tua esse debuerit, à qua tunc omnia utriusq; Majestatis munera pendebant. Quam prodigiosa penna, quæ ad intima Serenissimæ arcana mentis pertingebat, quæ calami illius amplitudo, quæ tantam potuit rerum molem simul complecti, & momento in paginam effundere! sæpe: enim:

Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Serenissimis deinde assueta fulgoribus Virtus, nihil obscurum admitte-

bat.

bat. Clarissimos ubiq; optimosq; sequebaris, nihil ob jactationem appetebas, nihil ob formidinem recusabas, illa intentus & anxius agere, quæ utriq; Majestati inprimis probarentur. Nunquam famam (cui etiam sæpe Boni indulgent) ostentanda virtute, aut per artem quæsiuisti. Procul ab æmulatione, à contentione procul, & sicut atteri, ita vincere quoq; inglorium arbitratus, in Pacis Regia, versabatur Animus sereno par cælo, & beatus. Ita Regni Aquilas Ceris imprimebas, ut ijs in omnium affectus involares, ita omnium corda incredibili humanitate trahebas, ut Magnes Animorũ credi potuisses, nisi à CHRISOSTOMI Cognomento fuisses aureus. Nihil unquam solitæ comitati Tuæ, confluentia undiq; negotia, nihil grauissima quæ Te ubiq; circumstabant Aulæ momenta, detrahebant. Omnium horarum fuit humanitas Tua, omni puncto, ceu Numẽ quoddam aderas. Per hos gradus in tam altum humanæ Prudentiæ culmen euasisti, ut nemo hodie non aduertat, quod cæle-

 stem

stem quandam mentem, à tam proximis quotidie serenitatibus hauseris, ut non sit affectus hominum, quem non palam videas, aut aperias. Vbiq; cum subtilitate ingenij rectitudo iudicij certat, & utrūq; vincit, rara mortalibus naturæ bonitas. Hinc utramq; in Aula expertus fortunā, ita solidos in lubrico illo theatro gradus fixisti, ut Te nullus unquam turbo quantumuis validissimus, á recta statione dimovere potuerit. Indignationem alij aut tædia, post breue obsequium; Tu pretium incomparabile, Tu integerrimum de Te Optimi Principis judicium, Tu Serenissimæ Aulæ desideria, & immortalem Tui memoriam, ad inuidiam pariter atq; gloriam reliquisti.

Non memoro Iaroslauiēsis Præpositurae Nomina, quæ PRÆSVLEÆ Dignitatis Tuæ admiratione superâsti. Videbaris enim ideo Præfecturæ illius Fasces admisisse, ut Augustæ Matri ad prodigium extra urbem dolenti, Par fores solatium. Quod ut feliciùs præstares, totum Te ad illius cultum, totum ad po-

puli

puli eruditionem, totum ad augendum Cathedræ ſplendorem conuertiſti. Et quidem tam beato ſucceſſu, ut ad unam Baſilicæ Tuæ Aram, omnes è cælo Divos euocâris. Quid enim auro Tuo tam frequenter diſtincti fornices loquuntur? niſi quod jam hodie libentiùs Te PRÆSVLE, ſuperi quoq; apud mortales hoſpitentur. Adeoq; quod inter fabulas tãtùm ſuas venerabatur olim Antiquitas; nos ſingulari priuilegio tot ſimul Domi noſtræ habemus Cælites, ut plures ne Empireum quidem poſſit numerare. Nimirum idem Sanctorum Omniũ, & Tuum Templum eſt. Nulla ſanctitas à Tuis ædibus excluditur. Neq; decent tot virtutes! penates alij. Quid dicam, immo quid non dicam de voce illa Tua flexanima, ſacras inter Conciones, miraculo magis, quàm ſtrepitu ſonoras. Nunquã illâ Iaroſlauienſium corda penetrabas, quin illico in uberes lacrymas diſſolueres. Cur enim Diuine Pericles, omnes animorum latebras Tuo fulgure non pervaderes, quod immortale omnia implens

 ver-

verbum, ita fulminabat, ut quicunq; Te audirent, singulos de cœlo tactos crederemus. Omnes enim quos admonebas, longè ab humanis, siue vitijs, siue affectibus, & penè extra seipsos abire videbātur. Ite nunc antiqui fabularum artifices, & Gallicos nescio quos Hercules memorate. Inuenerunt in nostri CHRYSOSTOMI *Ore commenta vestra fidem. Vidimus non aures tantùm populorum, sed Animas etiam immortales aureâ Tuâ suadâ, cælo toties obligatas,* PRÆSVL *Dignissime. Nemo fuit qui Luscinias Isocratis, ad feralem tanti Oratoris parentantes desideraret, postquam admiranda eloquentiæ Tuæ vi, immortale funus ita suaviter omnibus pæne vitijs indixisti. Id verò ut præstares feliciùs, ad melleas Platonis apes, fortes sæpiùs aculeos, ad molles Hortensij Rosas acutiores spinas addidisti. Et quanquam interdū in omnium mores, interdum in paucorum scelera detonabas, & in animos vasto impetu irrumpebas; vidimus tamen frequentissimè, severa Majestate* PRÆSVLIS

depo-

depoſitâ, Te ipſum Tibi, hoc eſt cognatæ domeſtico AGNO manſuetudini reſtituere, ut pænitentium exciperes lacrymas, quas in Tuas aures, immortali palato ad delicias uſq; propinabant. Ex qua facilitate apparebat cuiq;, non perſonis Te iratum fuiſſe, ſed vitijs, neq; ita authores criminum odiiſſe, atq; ipſa crimina. Neminē ergo Tua exaſperabat correctio, cujus vita ab eminentiore Dignitatis loco, omnium cenſuris expoſita, patebat laudibus ſingulorum. Immo incrementis Tuis apparuiſti tunc nobis major, cum Te ita profundè inclinâſti. Quanta verò felicitate id egeris, quanto populorum ſolatio, palam eſt omnibus. Te enim tam longè abſente, nullus in urbe illa hucuſq; tumultus, nulla ſeditio, nulla inter Cives diſcordiæ alea, averſio nulla animorum, eò quod talia Optimo PRÆSVLI diſplicere didiciſſent. Nulla Domus, nulla occurrit Ara, quæ tam Tuæ, quàm ſuæ felicitatis quotidie non colat memoriam. Immo nulla menſa, dicam etiam nullus focus, qui non magis ſacrarū Tu-

arum Pareneſum zelo ardeat quotidie, quàm ſuis ignibus. Si adhuc ad populum vel ſemel perorares, non mores tantùm antiquos, ſed Nomen quoq; ſuum Vrbs deponeret, & quæ nobis hodie Iaroſlavia nuncupatur, ſuperis Placentia diceretur.

Verùm à tam publicis in cõmune promeritis, quibus majores olim debentur Faſti, ad domeſticas virtutes Tuas progredior. Aedes ipſæ inprimis Tuæ in quibus hoſpitaris, non minùs Dignitatis Tuæ ſunt, quàm virtutis. Non Liber, non imago in illis locum habet, quæ inter Aras non poſſit poni, aut cælo. De Religionis pupilla quid dicam? ingenio quãtumvis acutiſſimo, tantâ ſermonis reverentiâ arcana ſua tractas, ut ne argutias quidem parùm cautas, in ſacris Textibus ludentium, etiam inter amæniores epulas patiaris. Ne oculatiſſimam ſapientiam Tuam, plùs, quàm cæcam Fidem, ſecuriſſimam illam humani Ducem ingenij facere videaris. A catholicis Romanam Dignitatem tanta commen-

das

das ſuavitate, ut qui priùs vim ſuadæ Tuæ timebant, jam cogi velint, ut aliquam habeat excuſationem pertinacia. Templis omnibus, quibus Te, raro exemplo quotidie infers, illum ſplendorem aut imperas, aut facis; qui ſolem quoq; ipſum Iuſtitiæ decere poſſit. Tu verò ipſe extra Aras, quaſi continuus ad Aras, viuis, & cùm ad Altaria deuolueris, non ſtudia curaſq; intimas, ſed locum tantùm mutas. Ita redundante in faciem pietate, totus ades rebus ſacris, ut palàm ſit, unico æternitatis negotio vaſtiſſimam Tuam mentem impleri, occupariq; totam poſſe. Ad Infulatæ Prudentiæ Tuæ commendationem, ſatis me hercule exiſtimo, hoc unum elogium: quòd in difficillimis, grauiſſimæ Fortũæ Tuæ Caſibus, quibus illibatiſſimæ gloriæ Tuæ pupilla, nimis fortibus inſidijs petebatur, nullum injeris unquam conſilium, quòd non omnes ſimul virtutes compoſuiſſe viderentur. Inuictam, & primis dignam Purpuris Fortitudinem, Moderationem, Iuſtitiam, quicunq; Tuam vellet æmulari,

ri, ingens me judice, vix euaderet insolentis cujusdam ambitionis periculum, ita perfectis Legibus vivere contendendo. Acceperamus jam pridem auribus, quæ de Te vulgabat ingens Fama, sed majora longè oculis didicimus ipsis. Amplificâsti præsens omnia, quæ referebantur absentibus. Te coram Iudice, nil juuat præpotentem esse, nisi sua Causa magis innocentiâ, quàm auro resplendeat. Neque jam miramur oblatis muneribus, non posse corrumpi Tribunal Tuum, qui domesticas gazas, majori auiditate in egenos distribuis, quàm cæteri alienas opes concupiscant. Et indulsêre quidem Tibi Boni superi, PRÆSVL Munificentissime, satis fortunarum; si tamen beneficia Tua expendamus, quæ tam liberali manu in Templa miserosq; spargis quotidie, omnia vectigalia Tua, minora sunt animi Tui amplitudine. Idem enim est miserū esse, quod ingens apud Te habere meritum. Ad Tuam fortunam pertinere putas, implere vota omnium. Gravis fortasse est Modestiæ Tuæ laudatio

ista,

ista; non tamen ego Te laudo, sed narro Tua. Secretum beneficijs Tuis imperare non potes. Agnoscimus in largitionibus manum Tuam. Nam quæ sine tuba, sine pompa, sine strepitu dantur, & dantur magnificè, non nisi Tua sunt.

Taceamne prodigium illud modestiæ Tuæ PRÆSVL Celsissime, cùm nuper Plocenses publico Capituli nomine postulareris ad Infulas: Mersisti lacrymis oculos, lugebasq; unus, de cujus Dignitate lætabantur universi. Tanquam de summa calamitate admonitus flebas, cujus postulatio omnium Animos, effusissimo gaudio cumulabat. Indigebas solatio Amicorum, in quo omnia spei nostræ gaudia superi posuêre. Cadentibus lacrymis Tuis, expavit nostra felicitas, & tantùm non corruit, anxia ne Te diutiùs excusares. Novum hoc certè fuit spectaculum, & quod nulla ætas taceat, nullaq; videat iterum Posteritas. Animorum Regina veritas, quæ in Aulis Principum personata, variam sibi larvam obtendit, aperta semper incedit Domi Tuæ.

Neq; Augusti Majestatem, neq; Catonis supercilium, neq; Seiani aut Tyberij frontem sumit ad insidias Animorũ. Et optauerit olim Tamerlanes, tàm sinceræ indolis gemmam suo inseruisse annulo, quæ palàm sudaret, si quis ante suum conspectum, intimis animi fibris hærentem, occuleret veritatem. Votum hoc tantùm fuit Terroris Asiæ; re id ipsa, & felicior euentus Tibi PRÆSVL REVERENDISSIME, meritò seruabatur, in cujus ædibus publicam habet Aram, Numen hoc. Neq; grauiùs ab uno quoq; Te coram delinquitur, quàm contra veritatem. Magnum tamen Dignitas Tua discrimen tunc adiit, cùm tantò minùs illi crederetur, quantò disertiùs tenuitatem suam referebat. Immo lætissimum censuêre omnes Principatum, cujus auspicatum omen effusæ inter Aras lacrymæ consecrabant. Non sterile enimuero littus illud fortunæ publicæ pandebatur, quod tam diuite lacrymarum Tuarum nimbo rigatum est.

Etiam hoc Deorum immortalium mu-

nus

nus ex destinatis est, tantarum Virtutum Tuarum maturitatem, Episcoporum Decano successisse. Nimirum quod plurimis in voto, nonnullis in spe tantùm, paucis in euentu fuit; hæc obtigit Antecessori Tuo felicitas, ut securè possit fortunæ suæ superstes, tanto Successore gloriari. Datumq́ʒ est novum gloriæ Tuæ documentum, eò Te magnitudinem meritorum protulisse, ibi secunda PRÆSVLEI Honoris jecisse fundamenta, ibi semina Dignitatum sparsisse, ubi Principum sanguini, ubi CAROLO Magni VLADISLAI Germano, spirâsse, satis erat ad gloriam, satis ad immortalitatem. Scilicet eo loci apud fortunam es, quo Regum Magnorum Purpura. Et id quidem Auiti Tui AGNI privilegium est, illo in campo stetisse, quem ita feliciter Madalinij vomeres coluerunt, ut Aureum tandem sæculo nostro proferrent CHRYSOSTOMVM.

Parce PRÆSVL Benevolentissime toties Tua Nomina, sinè paribus titulis compellanti. Quanquam tacentibus nobis pulcherrimi illi & ex tota pæne anti-

quitate lecti Codices, hoc eſt immortalia illa Gloriæ Tuæ monumenta, quibus publici præli officinas toties fatigâſti, plus omnibus de Te loquentur. Diſertiſſimæ pro Roſtris & Libertate Pareneſes Tuæ, Leges viuendi erunt poſteris, & perenne ingenij Tui prodigium. Ibunt in ævum tam eruditæ paginæ, neq; ita conticeſcent, quæ ita fortiter pro Deo & Patria loqui à Te didicerunt. Immortales excitabit calores in Lectorum animis, cæleſti quodam igne ardens ſuada Tua, quam illis feliciſſimè impreſſiſti. Habebunt clypeum virtutes, quo integritatẽ ſuam tueantur. Diſcent Poſteri qua voce aures Principũ, quibus oraculis Senatûs Majeſtatẽ implere debeant. Habebunt Anni conſequentes perennẽ Domi fontẽ, ex quo non Myleſias fabulas, ſed ſolidã Ciuilis ſapiẽtiæ eruditionem hauriant. Non uno legêris æuo, & inter magnorum nomina ſcriptorum memoria Tua de mortalitate triumphabit. Eminebũt in faſtigio voluminum virtutes Infulatæ, quas hactenus tanta arte palliabat modeſtia Tua, clarumq; erit ſingulis quibus gradi-

bus

bus ad hanc perueneris Dignitatem.

Vides jam Antistitũ Sapientissime quòd Te non Illustrissima tantùm, ut cæteros miramur in stirpe, non in magnis Parẽtibus, non in Auis, Proauisq; Senatoribus, non in amplissimis Fratrum Nominibus, Armis Togâq; præstantibus. Amplificas enim ipse nobilitatem Tuam, & Illustrissima origine major Nepos beneficium singulare Posteris Tuis præstas, quod dum se clarissimos probare voluerint, satis superq; fuerit, si Tui meminerint. Et onerâsti quidem ingentibus meritis futuros Dignitatis Tuæ hæredes, sed simul providisti, solatia comparatis, ut veram excusationem olim habeant, fieri non potuisse Tibi similes. Redibis tamen sæpiùs in sæculorum memoriam, quæ Tecum conferent Successores Tuos, quoties parem ab illis, vel in templis nitorem, vel in Iudicijs æquitatem, vel gravissimam cum Amicis consuetudinem, & Dignos Magno PRÆSVLE agendi ritus, vel in senatu sententiam, vel in expediẽdis difficillimis negotijs celeritatem expectabunt. Stat foribus Tuis semper affixa

tot hominum curarumq; multitudo, singulas tamen ita profunde expendis, singulas ita feliciter euoluis, ut totus in aliena de cœlo lapsus commoda, ex tanta fortuna, nihil Tibi referas decerpasq;, præter unã de omnibus benè merẽdi felicitatem. Eas ergo exemplũ & mensura virtutis Infulatæ, quam optimus quisq; ANTISTES ad imaginem Tuam exhibeat, spe publica votoq; celeriùs. Occupa pridem debitum meritis Tuis fastigium, respirent sub Te longâ expectatione pressi hactenus populi, reflorescant sub eruditissimo PRÆSVLE Literati, defunctæ Artes vitam recipiant, quam immortalibus olim Gloriæ Tuæ fortiùs impendant elogijs. Redeat Suus Altaribus splendor, Clero Dignitas, Religioni Majestas, Fidei Romanæ Authoritas, Aurea vox Senatui, Posteritati verò, tot impressis voluminibus, suæ immortalitatis Author.

A. M. D. G. B. M. V. I. C. H.